50. *C. thyrsiflorus* Jungh.

Coll. Soyaux, no. 109.
Loango, Ponta negra.

51. *C. ovularis* Torr.

Schwf. herb. no. 1842. Coll. Pogge, no. 3 et no. 6.
Africa centr., terr. Djur. Africa occid.: Massumba, Malange.

52. *C. paniceus* Bcklr.

Herb. Schweinf. no. 1989.
Africae centr. terr. Djur.

(Schluss folgt.)

De coloribus Lichenum notula.

Scripsit **W. Nylander.**

Inter alias res plurimas Lichenes attentioni commendantes sunt certe quidem spectatissimi colores varii quibus ornati discernuntur. Sunt hi colores maxime apud eos visibiles externi, scilicet in thalli superficie sedem habentes; at si propius intuemur, etiam colores diversos invenimus in apotheciorum superficie atque alios in texturis aut thalli aut apotheciorum. Forsan quoque usui tinctorio experimenta primitiva suscitavit, non solum in Europa, sed adhuc in aliis telluris partibus, multiplex illa varietas colorum, quibuscum in natura ubique ea vegetabilia prodeunt laminas suas crustasque expandentes.

Consideranda sunt respectu, quo hic agitur, seorsim thallus, apothecia et spermogonia. Statum typicum admittimus siccum, in quo statu colores sinceriores apparent quam in statu humido eos miscente ob texturas aqua imbutas plus minusve translucidas.

I. Colores Thalli.

Color thallinus frequentissimus est albus vel albidus. Fere aeque frequens est cinereus vel cinereo-glaucescens. Minus frequens cinereo-virescens, fuscus, rufescens, stramineus, lutescens, aurantiacus, cinnabarinus, nigricans. Haud nimis raro est superne subniger vel niger (in *Ephebaceis* et *Collemaceis* multis, in *Verrucaria maura*, etc.); frequentissime vero color niger in thallis a substrato liberis subtus (pagina infera) atque apud rhizinas et hypothallos observatur.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0559-2

Textura interna partem praedominantem medullarem vulgo albam sistit, sed quaedam species medullam habent aureo-flavam, rarius ochraceam; in paucis ibi obveniunt particulae sparsae coccineae, raro stratum totum purpureum. Accedit in Lichenaceis sub cortice stratum (saepissime tenue) gonidicum flavovirescens aut gonimicum nigrocoerulescenti-obscuratum (haec omnia in sicco statu considerata).

Vita perennis intermittensque Lichenum a ceteris plantis dissimilis, jam coelo sicco lethargiam physiologicam (si ita dicere licet) desiccatis omnibus texturis exhibens, jam coelo humido vel pluvioso texturis madefactis revigescens, illud omni modo differentias in organismo eorum adducit. Quod cadit etiam in colores originemque eorundem, nam hic nulli succi cellularum colorati obveniunt.[1]) Omnes materiae colorantes aut in granulationibus aut parietibus cellularibus coloratis depositae sunt. Sic color primo obtuitu maxime perspicuus analysi invenitur locum tenere plerumque in epithallo vel superficiem corticalem inde tingi (exempla dant *Ephebacei*, *Collemacei*, *Lichenacei* superiores plurimi). Sed alibi et frequentissime color epithallinus vel corticalis pendet a pulvisculis vel granulationibus cellularibus seu extracellularibus.

Ita color albus externus thalli similiter atque medullaris materia subtilissime granulosa alba effingitur, quam formam materiae colorantis apud *Roccellas* facillime, ob texturam earum corticalem peculiarem non clausam (vid. Nyl. Syn. t. VIII., fig. 3a), sese separare simplici malaxatione vel frictione inter digitos sub aqua videmus seque tum tamquam nubeculam albam in eandem emittere. Pulvisculus albus *Rocellarum* CaCl (i. e. hypochlorite calcico) coccinee vel coccineo-rosee reagens sistit quod dicitur *Acidum erythrinicum*; in aliis Lichenibus materia colorans alba CaCl flavo-reagens sistit *Acidum glaucinicum* (si nomen hoc novum proponere licet); alibi facie similis materia hydrate kalico citrino-reagens sistit frequentissimum *Acidum lecanoricum*, etc.; qui pulvisculi diversi albi aut exteriores (vel in superficie thalli effusi) aut interiores in interstitiis myelohypharum (vel elementorum filamentiformium medullarium) e cellulis excreti chemice haud parum sunt compositi, aegre vero

[1]) Vix apud Lichenes alibi liquidum aliquid constans occurrit quam protoplasma granuloso-oleosum in sporis thecisque inclusum; guttulas oleosas majusculas interdum praebet.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0560-4

analysi chemica examinandi determinandique ob nimis parcam eorum copiam obviam.[1])

Similiter colores aurantiaci et vitellini oriuntur e granulis subtilibus analogis aut *Acidi chrysophanici* (hydrate kalico insigniter purpurascentibus vel purpurascenti-dissolutis) aut in aliis Lichenibus *Acidi lecithophanici* (si hoc novo nomine designare licet pulvisculum frequenter obvenientem vitellinum vel aureoflavum hydrate kalico non reagentem), ambobus facie externa convenientibus, at chemice omnino diversis et inhaerentibus eodem modo aut strato corticali (vel super idem excretis) aut strato medullari (ubi medulla tunc aut reactionem *Acidi chrysophanici* aut aliis *Acidi lecithophanici* offert).

Neque aliter colores obscuri in supera pagina aut in infera thalli atque colores illi rhizinas sive hypothallum tingentes, jam e granulis obscuris jam e parietibus cellularibus (vel lichenohypheis) obscuratis originem ducunt. Hujus capitis sunt colores: spadicei, fusci, nigricantes, nigri.

Thallus apud sat multos Lichenes intus frictione vel strato corticali rupto flavet, quod aut e colore medullari flavo oritur (granulis *Acidi chrysophanici* aut aliis *Acidi lecithophanici*) aut demum in aliis e chrysogonidiis (etiam a me dictis: Gonidiis chroolepoideis), quae gonidia saltem pro parte granula aurantiaco-rubentia vel quoque guttulas ejusdem coloris continent.

Animadvertatur hic simul, colorem Lichenis vivi, qui sicut supra indicatur duplicem habet modum prout scilicet humido statu aut sicco agitur, post mortem in speciminibus conservatis sensim nonnihil mutari. Quod valet praesertim in thallos recentes glaucescentes vel glauco-perlatos (ex. gr. *Parmeliam perlatam* et analogas) vel stramineo-glaucescentes vel albido-glaucescentes (ut *Ramalinas*), qui demum glaucescentia amissa, in herbariis pallescunt. In humido statu nonnulli thalli albido-cinerascentes bene e gonidiis uberiusculis viridem sumunt colorem ob stratum corticale omnino tunc pellucens (ex. gr. *Peltideae aphthosae*, *Parmeliae Borreri*, *Physciae ciliaris*, *Umbilicariae pustulatae*, et.); quod similiter efficitur in speciebus thallo pulverulento gaudentibus ob gonidia subnudata vel nudata.

---

[1]) Scrutationibus chemicis solitis quantitate majore materiae examinando opus est quam apud Lichenes obtineri potest.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0561-9

II. Colores Apotheciorum.

Conceptaculum et epithecium saepe sunt incoloria vel subincoloria (dilutissime tincta), sed apud alios Lichenes ea variorum sunt colorum. Saepissime sunt nigra, aliis fusca, aliis lutescentia, aliis rosea, sanguinea, ferruginea, crocea, rubella; tamen notandum, ambo plerumque non simul ejusdem esse coloris, nam ubi conceptaculum incolor observatur haud raro epithecium adest nigrum, aut ubi conceptaculum nigricans epithecium in certis speciebus pallescens, etc. Similiter epithecium pallescens sive rubescens occurrit ubi conceptaculum incolor. Thalamium vulgo est incolor, corneum aut interdum rosello-tinctum, raro (ut in *Lecanora atra*) violaceo-obscuratum, sat raro electrino-lutescens (tum plerumque ab *Acido chrysophanico* penetratum). Hypothecium est aut incolor aut obscuratum (nigrum, coeruleo-nigricans, fuscum, etc.), aut rufescens, lutescens, e cellulis ita tinctis[1]); etiam illud aliquando Acidum chrysophanicum continens et tunc hydrate kalico purpurascenti-reagens. Paraphyses sunt incolores, at apice colores saepissime offerunt epithecii; sat saepe clavam habent nigram sive nigricantem, apud alias species fuscam, rufescentem, lutescentem et apud multas (etiam clava obscura) reactionem K purpurascentem; superveniunt vero frequenter granulationes subtilissimae epitheciales aliaeque incolores paraphysibus inspersae. Neque praetermittenda est pruina alba vel caesia, quae saepe epithecium obtegit et quae in paucis speciebus Acidum glaucinicum continet (in *Lecanora angulosa*, *Lecanora glaucoma*, etc.).

Sporae plurimis Lichenibus sunt incolores, aliis fuscae vel nigricantes, ubi color ille in tenuissimo strato externo (episporii) situs est. Accedit rarissime (in *Sphaerophoris*) pigmentum nigro-coerulescens superficiale.

III. Colores Spermogoniorum.

Conceptaculum spermogoniorum vulgo incolor est vel parte supera saepius nigricante vel pallescente; aliis totum pallescens aut totum nigricans e cellulis densulis sic tinctis, tamquam idem locum habet apud apothecia. Partes interiores incolores. Spermatia semper incoloria, et accumulata, similiter atque sporae incolores in congerie visae, conspiciuntur alba.

[1]) Hypothecium saepissime e cellulis condensatulis constituitur, cavitatibus plerumque angustatis, obliteratis.

Redacteur: Dr. **Singer**. Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei (**F. Huber**) in Regensburg.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0562-5

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1879

Band/Volume: 62

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: De coloribus Lichenum notula 557-560